Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

chritudinem corporum siue celestium siue terrestrium. et quid
mihi presto esset integre de mutabilibus iudicanti et dicenti hoc ita
esse debet. illud non ita. hoc ergo querens unde iudicarem. cum ita
iudicarem inueneram commutabilem et ueram ueritatis eternitatem supra
mentem meam commutabilem. atque ita gradatim a corporibus ad
sentientem per corpus animam atque inde ad eius interiorem uim cui
sensus corporis exteriora nuntiaret. quo usque possunt bestie.
atque inde rursus ad ratiocinantem potentiam. ad quam refertur
iudicandum quod sumitur a sensibus corporis. que se quoque in me
comperiens mutabilem. erexit se ad intelligentiam suam. et abduxit
cogitationem a consuetudine. subtrahens se contradicentibus tur
bis phantasmatum ut inueniret quo lumine aspergeretur. cum sine
ulla dubitatione clamaret. incommutabile preferendum esse
mutabili. unde nosset ipsum incommutabile. quod nisi aliquo mo
do nosset nullo modo illud mutabili certe preponeret. et peruenit
ad id quod est in ictu trepidantis aspectus. Tunc uero inuisibi
lia tua per ea que facta sunt intellecta conspexi. sed aciem figere non
eualui. et repercussa infirmitate redditus solitis non mecum
ferebam nisi amantem memoriam. et quasi olfacta desiderantem.
que comedere nondum possem. et querebam uiam comparandi ro
boris quod esset idoneum ad fruendum te. nec inueniebam donec
amplecterer mediatorem dei et hominum hominem Christum Ihesum.
qui est super omnia deus benedictus in secula uocantem et dicentem. ego sum
uia et ueritas et uita. et cibum cui capiendo inualidus eram
miscentem carni. Quoniam uerbum caro factum est et habitauit in nobis.
ut infantie nostre lactesceret sapientia tua per quam creasti omnia.
Non enim tenebam deum meum Ihesum humilis humilem. nec cuius
rei magistra esset eius infirmitas noueram. Verbum enim tuum
eterna ueritas. superioribus creature tue partibus super eminens.